

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**Xenophontis, Philosophi Et Imperatoris Clarissimi, Qvae  
Exstant Opera**

**Xenophon**

**Francofurti, 1596**

Ode

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-331](#)

PAVLII MELISSI FRANCI,  
COMITIS PALAT. ET EQV.  
CIVIS ROMANI

ODE  
AD ILLVSTREM VIRVM  
CAROLVM ZEROTINVM.  
BARONEM.

*De obitu IOANNIS LEONCLALI AMELBVRNI.*

QUERARNE ruptas ante diem manu  
Clothūs avaræ stamine cum brevi  
Tramas LEONCLAI? Querarne  
Tam subito ZEROTINE casu  
Manes petitos? ah! homines sumus,  
Mortale semen. Mens mihi (testis es  
FREHERE) præfigebat, hinc cum  
Ille senex abitum pararet,  
Redâque vectum nos comites duo  
Deduceremus; non fore ut amplius  
Ipsum intueri post daretur.  
Sic igitur, calicis supremi  
Post dona libata, alteri ab alteris  
Digressionem fecimus. Ut Nicer  
Virum, & Palatini tetrarchæ  
Bibliotheca libris vetustis  
Frequens anhelat! Pallas ut anxia  
Greque eruditus ringitur! Angulum  
Ut sæpè lustro, sedit in quo  
Pervigil is, veterumque Graiūm  
Evolvit acer docta volumina,  
Speciantia ad jus & solidam Themis,  
Latumque campum tramitesque  
Historiæ amplivagè patentes!  
Suâpte dextrâ vidi ego sedulo  
Illum exarantem, codicibus tribus

Excerpta, Græca LAONICI  
Scripta, dehinc in apertiores  
Promenda lucem: quæ, rogo, dispice  
Illustrium o flos CAROLE, ne situ  
Araneoso oblitterentur,  
Neve manūs alieniores  
Post nigra adempti funera sentiant.  
Fragmenta muni quæ superant ope  
Recollendum. Te cauente  
Graviter, ac satagente rerum,  
Huius peribit nil equidem reor  
Laboriosi verticis. Ut ferus  
Te Mars fatiget, ceterosque  
Pannoniis proceres in oris;  
Tamen relictaς hac quoque parte fac  
Iuves Camenas. Jam XENOPHON iit  
Orbus secundanaſ in auras,  
Teque (viden?) sibi poscit ultro  
Tutorem amicum. Quinti supplicat  
Pia umbra LANI, sive domestica  
Imago defuncti, sepultum  
Ut merito decores honore.  
VIENNA famæ conscia, tot Ducum &  
Regum & potentum patria Cæsarum,  
Æternate ponente seros  
Deinde legat monumenta in annos.

*Anno CICCI XCIV. Mense Junio.*